Illustris & nobilissime Domine,

Ante paucos dies pulsavi fores tuas; sed exijsse nuntiabaris, ac foris pransurus. Cupiebam animi secreta in sinum tuum effundere, & praesens tibi

Ἄγχι σχὼν κεφαλὴν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι,

aperire quod moveo, à te, si me amas, promovendum. Cum non ita pridem redirent à funere comitis Culemburgij quidam Ordinum gen. delegati, incidit forte inter eos sermo de rebus, quae apud nos terra mariq; geruntur, absurdum esse dictitantes, cum tanta essent, & vatibus sacris non carerent, non consignari eas ordine ~~liter~~ historiarum monumentis; paullum quippe, ut canit Flaccus, sepultae distare inertiae celatam virtutem. Id mihi indicavit, qui has tibi tradit, affinis Veltdrielius, animumq;, quem oblectari historiarum studijs noverat, mihi addidit non refugiendi, si daretur occasio, talem provinciam. Communicavi id cum ijs, qui non parum possunt, & omnia mihi volunt, Coss. Beverio, & Terstegnio, ac non modo operam suam addixere, sed & apud suos commendationem. D. Catsius quoq; symbolam cum genero conferet. Imo iam D. Mylius, cum redderet ex meis literis id nuper praeside Batavia propositum iri, oraculum Principis consuluerat. Sed dilatum a meis in discessum, brevi futurum, Ordinum Bataviae, qui, attentiores ad rem, fortassis remoram objicerent. Unum restat, Nobiliss. Domine, si ullo sum apud te loco, quod tot tuis in immerentem beneficijs cogor mihi promittere, oleum ut ardenti camino addere digneris, & Principi (qui favorem suum in hoc negotio iam pollicitus est) porro commendare, ut accersito, qui tum praesidebit, & rem ipsam, & me sibi placere asserat. Nosti enim, quantum id apud illos, quibus ea res in manu, pondus sit habiturum. Vale, Vir illustris, & studijs nostris fave. Dordrechti XI Dec. CIↃ IↃC XXXIX.

Miseram nuper in praetoriam libellum, de Exc. foem. sexus Principi, si tibi videretur, tradendum: sed credo non vacare Ipsi ejusmodi nugis adesse.

Nobilissimo nomini tuo
devotiss. cliens

Joh. Beverovicius
1639

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Beverwijck) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2282

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Beverwijck) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2282

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Beverwijck) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2282

Illustri & nobilissimo viro,

D. CONSTANTINO HUGENIO,
Equiti, Zulichemi Domino, Celsissi-
mo Principi à consilijs & secretis.

Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Beverwijck) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2282